



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XX. Modestia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XX. MODESTIA.

Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. Gen. 46. 4. Oculos morientium claudere ritus antiquis inviolabilis erat. O si vivi eos clauderent ad humana; ut mortui possent videre divina! Abulensis inquit: ideo mortuis claudi lumina; nè, præ lethali frigore palpebris frigescentibus, stupidi oculi horrorem incutiant intuentibus; ideo quoque os, manus, & pedes, mortuorum componuntur. Si bona videtur in iis dispositio sensuum, & membrorum; quem horrorem incutere debet, videre hominem viventem, oculis, ore, manibus, pedibus, & toto corpore, dissolutum. Alvarez lib. 266. Scias religiose, te Mundo mortuum; & horrore esse virum mortuum, dissolutos oculos, inversas manus, & pedes incompósitos, exhibere. Illum ergo charissimum tibi habe; qui silentium tibi, modestiam, gravitatem, totiusque corporis honestatem, amicè commendat: majus enim beneficium est viventi modestiam suadere, quam mortuo jam lumina claudere. Id. ib.

Sapientia hominis lucet in vultu ejus. Eccl. 8. 1. Tripliciter sapientia lucet in vultu. Primò quia, ut ait S. Hieronymus, anima seipsam, suasque passiones, & affectus, imprimat corpori, præsertim vultui, per naturalem Sympathiam. Secundò, quia sapientia, & virtus, non tantum animum, sed & corpus, præsertim vultum, ad omnem honestatem, & decorem, componit, facitque, ut in eo relucent gravitas, comitas, probitas, pietas. Tertio, sapientia lucet in facie: quia facit sapientem omnibus amabilem. Cornelius hic.

Modestus. 1. Petri 3. 8. Angeli, ut docerent nos modestiam, sæpe apparuerunt in corpore assumpto: ut in eo Angelicos mores, & modestiam, exprimerent. Cornelius hic.

Ama modestiam summoperà, ut divini spiritus tabernaculum efficiaris. S. Ephrem Pæren. 5.

TITULUS XXI. MORBI.

§. I.

Utiles animæ.

Num. 1.

*Symbola, & similitudines
Ex Veteri, & Novo.*

Urbæbantque Egyptii populum de terra exire velociter dicentes: omnes moriemur. Ex. 12. 33. Mors quotidie nobis impendens, & ejus comites morbi, sæpius invitentes admonent; jamiam esse demigrandum; & tanquam Egypti urgent Israël: qui, nisi afflictus, & oppressus, non facile promissam unquam terram illam lacte, & melle, redundantem adamasset. Isidorus Clarius l. 1. or. 7. in die Cin.

Mortui sunt multo plures lapidibus grandinis &c. Jof. 10. 11. Lapidibus grandinis sunt infirmitates immisæ à Domino. Et plures convertuntur ad Dominum per infirmitatem, quam per prædicationem. Hugo Card. hic.

Misit Salomon in Ophyr, ut aurum inde deferretur. 3. Reg. 10. 11. Ophyr infirmitas interpretatur. S. Rupertus l. 2. c. 30.

Unversum statum ejus versasti in infirmitate ejus. Pl. 40. 4. q. d. ut tui, ô Deus! dulcem captent somnum; tu eis tuis ipse manibus lectum componis. Quis sensus horum verborum? S. Chrysol. l. 14. Caro est, quæ versatur, & versat: ipsa est ergo, quæ in adversis

resolvitur, in prosperis versat. Ut infirmo bene sit, & quietè; versari sicutum, excuti; sursum, ac deorsum volvi, necesse est. S. Ambrosius l. 1. de penit. c. 13. quod nocet corpori, adjuvat spiritum. Didacus Nils. f. 2. in die Cin.

Habens sub me milites &c. Matth. 8. 9. hoc voluit subintelligi: tu homo, qui & Deus es, passiones omnes, & universas infirmitates, habes potestati tuæ, & judiciis tuis, militantes; & dicis huic vade, & vadit. Dicis, inquam huic spiritui infirmitatis, recede, & recedit: dicis item alii, cum causa, & ratio, postulat, veni, & venit: ut scilicet flagelleretur, quem flagellari volueris. S. Rupertus c. 20. in Evang. Morbi enim sunt quasi milites, & satellites tui, quos ad nutum in reos emittis; & à prenitentibus, ac supplicibus, revocas. Cornelius hic.

Dedit illis potestatem & curarent omnem languorem. Matth. 10. 1. Apostoli possunt dici infirmitates corporales; quas mittit Dominus quasi correctores; ut ab errore revocent homines; velut eos, qui boni sunt, efficiant meliores. Hugo Card. hic.

Accessit, & tetigit loculum. Luc. 7. 44. Quoties & tu ad Inferni sepulchrum properas! misericors autem Dominus tangit manu loculum, corpus; mittendo morbum, ut te retineat, & ad vitam gratiæ revocet. Stella hic.

Cujus filius infirmabatur Capharnaum. Joan. 4. 46. Capharnaum Eusebio Emisse: no idem est, quod villa consolationis; quasi